

ORATIONS BY THE PUBLIC ORATOR

THE PUBLIC ORATOR delivered the following Orations in presenting the recipients of Honorary Degrees in the Convocation held on 25 February 1939:—

DON PIO DEL RÍO HORTEGA

Haud scio an nihil difficilius sit corporis humani naturam investigantibus quam ut nervorum texturam patefaciant et cerebri tanquam subtemina scrutentur. Hoc opus, tam tenue, tam subtile vir hic, si quis alius, felicissime perfecit. Nam Madriti adolescens magistrum praeclarissimum nactus, Ramon y Cajal, de quo praelectione iucundissima nuper nobis disseruit, rationes ab illo excogitatas propria inventionis ubertate prosecutus est atque adauxit. Sed non σοφιστήs tantum exstitit sed idem ποιητής, qui ut cellulas cerebri minutissimas sub microscopo, quem appellant, dispiciat et distinguat, mira eas colorum varietate imbuit. Videas ibi nervos velut arbores ramos suos dispendentes auro argento ceterisque pigmentis callidissime infectos. Sic dum scientiae profectui inservit, Hispaniae suae pictores antiquos arte recenti aemulatus est. Ipse quondam apud Madritenses Instituti Pathologici Rector, Salutis publicae et Humanitatis Consultus, nunc a patria exsul belli miseriis afflicta pathologiae nostros Oxoniae professores mirum quantum adiuvat. Utinam mox in patriam pacatam redire liceat et illic inter naturae investigatores lumine diu effulgere splendidissimo. Ut nos interea laudes atque gratias significare possimus, praesento vobis virum *νευροϊστολογώτατον*, Dominum Pium del Río Hortega, ut admittatur honoris causa ad gradum Doctoris in scientia.

Cyril Bailey

a. d. v. Kal. Mart.

MCMLXXXIX